





# Sammelband 09

Index locorum in hoc volumine  
explicatorum

- nr. 29 Pp. LXXXIV.  
4. Math. II. 17. 18.  
28 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 Epist. V. 23.  
18 Gal. I. 24.  
11 Col. II. 14. 15.  
25 Cor. XIII. 2.  
26 1 Petr. III. 18.  
28 2 Petr. I. 19.  
6 Iud. 9.  
28 Apoc. XIII. 16.



- 1 Amulet de naturalismo rom: eccl:
  - 2 Historia quæstionis quæ est maxime in regno cælestium
  - 3 Chabert de resurrectione carnis Christi et eius resurrectione spiritus
  - 4 Historia & doctrina de fletu Sæculi ad Matthe. 11. 11. 16
  - 5 De nativitate Iesu Christi sematoris
  - 6 De capitulis inter Michaelen archangelum et diabolum de corpore Iesu. ad Luc. 9
  - 7 Rasili. N. oratio de humana Christi generatione
  - 8 De aqua Iei, qui tollit peccata mundi
  - 9 vid: 11. 5
  - 10 De resurrectione Iesu Christi demonstrata ex generatione filii Ad: 13. 22. 23.
  - 11 De Iesu Christo spiritus infernalis triumphante ad Col: 11. 14. 15 Cap: 20.
  - 12 De pace in terra ex adventu Christi
  - 13 De hominibus Cappadoc. Domnicis
  - 14 De constantibus gratiæ
  - 15 Kipping animadversiones in demonologiam quælibet
  - 16 De vestigiis popularis doctrinæ de hominum medicatore, apud veteres gentium sibi. Iosephus
  - 17 De similitudine sancta cyprorum
  - 18 De reliquiis affectionum Christi. ad Col: 1. 34
  - 19 De pulvis erecta pluribus humeris, et theologiamena
  - 20 De differentia Iesu pentecostis veteris ab recentis, corrupti:
  - 21 Habitu de Michael archangelo, eiusque apparitionibus, festis et cultu in monte Sargano, 7
  - 22 Quid dicitur proceres.
  - 23 De divinis locutionum huiusmodi. Wernsdorf ad Cor. XIII. 2.
  - 24 De visione Dei ante resurrectionem carnis
  - 25 Christus præter. Wernsdorf.
  - 26 De dogmate plurimum philosophicæ ante - Cap: 20. Domnicis.
  - 27 De Dio imperatore. Wernsdorf.
  - 28 Amulet de Historia Iesu Christi quinquaginta
  - 29 Observationes philologice in Iesu Christo. Cap: 20.
  - 30 Uicel de veritate resurrectionis Iesu Christi.
  - 31 De Iesu. I. non coronante ad eius pedem hinc
  - 32 Disciplina ecclesiæ circa orationem domini in eam.
  - 33 De cultu Iesu Christi per spiritum
  - 34 De momenti Iesu et Christi: ad debentur nomen nativitate Iesu dicitur.
  - 35 Demo ex trinitate rescripto. Chabert.
  - 36 De Iesu in cultu in. ad I. Petri. III. 16.
  - 37 De simplicitate Iesu.
  - 38 Wernsdorf de Iesu pluribus nostris. ad Luc. 16. 78. 2. Petri. 1. 9. Apoc. XXII. 16.
  - 39 Cap: 20 de ostensione diaboli corporibus pueris deingata
  - 40 De Iesu. I. S. de Igitur.
- ad Epist. I. 20.
- † Ad: 20 sequitur Cap: 20 progress: de Christo sui corporis saluatore. Ieremo. 16. 21







COLVMBIA SANCTA  
S Y R O R V M

---

PROGRAMMA  
SACRO PENTECOSTALI

A · R · S · c i o i o C C L X I

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P · P

---

HELMSTADII  
LITERIS SCHNORRIANIS.



COLUMBA SANCTA

SYRORVM

PROGRAMMA

SACRO PENTECOSTALI

A. R. S. ELIENORVM

AGGREGATA S. CAROLINI

HELMSTADII

IN ANNO 1852





ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE  
 PRORECTOR ET SENATVS  
 CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

I

**I**llustre sui spectaculum Spiritus S<sup>i</sup> cui nunc sacra facturi sumus, praebuit, cum Christus iustri Iordanis aqua a Ioanne tingeretur. Nam consentiente quatuor sacrorum scriptorum testimonio a) uidit eum Ioannes descendentem in caput Christi forma columbae, *ὡσεὶ περιστερῶν*. Fuerunt quidem interpretes, sigillatim HENR. HAMMONDVS, qui iis uerbis existimarent non conspicuam columbae figuram, qua Spiritus S<sup>i</sup> descendit, designari, sed tantum motum indicari talem fuisse, qualis esse soleat columbae ex aere se se demittentis. Sed eam opinionem et secum ipsam pugnare, et disertis sacrorum scriptorum uerbis aduersari, pulcre ostendit OLEARIVS b). Contra quidam doctores ueteris ecclesiae, nominatim TERTVLLIANVS et AVGVSTINVS,

A 2

CE-

a) *Matth. III, 16. Marc. I, 10. b) Obseru. ad Matth. p. 201*  
*Luc. III, 22. Io. I, 32*



crediderunt ueram columbam fuisse, in qua Spiritus S. apparuerit, quos refellit BOCHARTVS. c) Vera igitur sententia uidetur, quae etsi non physicum columbae corpus, at certe columbae figuram fuisse defendat. Atque ita acceperunt plerique doctores ueteris ecclesiae. Quapropter Spiritus S. in ecclesiis uel pictis columbarum imaginibus, uel formis earum ex auro argentoue conflatis, et super altari, aut in baptisterio, e laqueari suspensis, repraesentarunt. Quarum columbarum usum in ecclesia ueteri luculenter demonstrauit IO. ANDR. SCHMIDIVS. d) Neque uero formae columbaris Spiritui S. attributae ratio a sola eius apparitione in baptismo Christi profecta uidetur, sed ex eo etiam, quod officio columbae functus credebatur in ipso mundi nascentis principio, cum Mose pronuntiante, (Gen. I, 2) *Spiritus Dei se se libraret super aquas*. Nam uocem a Mose usurpatam רִיחַ קָדְשׁ proprie significare columbae nido incubantis et oua fouentis ritum, quo uis Spir. Sancti *δημιουργον*, omnibus rebus uitam, motum, et uigorem inferens, ostendatur, non solum Hebraeorum ueterum, sed etiam doctorum ecclesiae sententiis iam pridem euictum et approbatum est e).

## II

Sed ista latius explanandi locus erit, ubi ad finem huius dissertationis peruenerimus. Iam enim propositum est, historiae Mosaeicae de origine mundi, et maxime de Spiritu diuino *δημιουργον*, uestigia in traditionibus ueterum gentilium et mythis antiquis contemplari. Cum enim multa doctrinae historiaeque antiquissimae, sacris descriptae

a) Hieroz. Tom. II, p. 35.

d) In *diff. de columbis in ecclesia graeca et latina usitatis*. Helmstadii. 1711.

e) Vid. GLASSIVS *Phil. Sacr. lib. III, tract. 3, p. m. 828*. GERH. T. I. *Loc. de Spir. S. p. 581*.



IV

prae literis, argumenta in pootarum aliorumque scriptorum ueterum monumentis, quamquam fabulis inuoluta et corrupta, reperiuntur, quorum inuestigatio, quod dignitatem ueritatemque scripturae sacrae declarat, magnam habet incunditatem, tum mihi in primis memorabilia uisa sunt, quae de columbis, earumque sanctitate, referuntur in fabulis ueterum, quae mihi quidem antiquissimam traditionem de Spiritu Dei, creatore mundi, e sacris fontibus derivatam, et inter gentes profanas aliquamdiu seruatam, testari uidentur. Documento sit uersus TIBULLI, f) qui primam huius rei meditandae occasionem suppeditauit:

*Quid referam, ut uolitet crebras intacta per urbes*

*Alba Palaestino sancta columba Syro.*

Hic cum dicatur, columbas a Syris sanctas fuisse habitas, adeo, ut iis uesci uererentur, eius religionis rationes paullo altius indagabimus. Ita uero instituemus ordinem dicendorum, ut partito trifariam argumento omnem rem edisseramus. Primo enim traditiones antiquas et mythos afferemus, quibus causa cultarum apud Syros olubarum refertur: deinde detractis fabularum integumentis ostendemus, latere in illis quasdam philosophiae orientalis de prima nascentis mundi origine sententias: denique uero demonstrabimus, cum ipsas has sententias, tum, quibus hae inuolutae sunt, fabulas non aliunde, quam ex antiquissima traditione gentium, ipsaque narratione Mosis, de Spiritu Dei, opifice mundi, sed uarie deprauata, esse profectas



*Sanctam* Syris esse columbam TIBULLVS scribit, ut religiose ab iis cultam indicet. Hoc enim sensu et alias *sanctum* dicit, ut de Aenea: *Illic sanctus eris*, i. e. illic diuinis honoribus afficeris. g) *Album* cur dixerit columbam, non aliam rationem reperio, quam quod hoc epitheton ei, ut sanctae rei, aptissimum credidit. Album enim colorem, ut castitatis et sanctimoniae indicem, rebus sacris antiquitus conuenientiore iudicatum, inter omnes constat. Atque inde factum esse arbitror, ut antiqui Christiani speciem columbae, qua Spiritus S. apparuit in baptismo Christi, candidam fuisse dicerent, quamquam sacri scriptores eius rei nullam mentionem iniiciunt. h) Pro Syro in uersu Tibulli SCALIGER olim legere uoluit *syro*, scriptura codicis sui inductus, et quod putabat Syrum non dici Palaestinum. Sed ira dici ab OVIDIO, ex uersu eius innox adducendo clarum est. Nimirum tres ueteribus Geographis sunt Syriae, *Συρία Κοίλη*, *Φοινίκη*, *Παλαιστίνη*. Syria Palaestina autem eadem est ac Iudaea. PROLEMAEVS: *Παλαιστίνης Συρίας, ἧς τις καὶ Ἰουδαία καλεῖται, θεοῦ*. Et sic multi alii scriptores uocant. Interim tamen dubium est, utrum Palaestinus h. l. exprimat gentem et partem aliquam triplicis Syriae, nominata Iudaeos, an uero otiosum sit epitheton, et Syri potius uniuersi intelligantur. Nam et OVIDIVS Palaestinos posuit pro Syris, idemque Palaestinas aquas uocat Euphratem, Syriae seu potius Assyriae fluium. i) Contra ma-

g) Lib. II, 5, 43. Conf. quae BROVKKHVSIVS obseruat ad Tib. II, 7, 13

h) LACTANTI. *Inst.* IV, 15: *Spiritus Dei descendit super*

*cum formatus in speciem columbae candidae* ita et Euang. infant. Christi apud FABRICIVM *Cod. Ap. N. T. p. 211*

i) *Métam.* IV, 46. *Faust.* II, 464



manifeste Iudaeos intelligit οὐδὲν hoc uersu: k)

*Culta Palaestino septima sacra Syro.*

Et alio loco, l) eandem rem exprimens, Iudaeum Syrum nominat. Re curatius expensa TIBULLVS quidem uidetur praecipue de Syriae Palaestinae incolis intelligendus. Quamquam enim ipsos Iudaeos non legimus superstitioso columbarum cultu se maculasse, id tamen fecisse uidentur alii populi, his uicini et Palaestinae attributi, qui a Graecis Romanisque scriptoribus raro solent a Iudaeis discerni. Nam Samaritanis cultum simulacri columbae obiectum a Iudaeis, obferuat SELDENVS, m) eosdemque in chronico suo Iosuae duci columbam administram, diuinitus edoctam, attribuisse auctor est SCALIGER. n) Vicinis autem Palaestinis, Azoriis maxime et Acalonitis, cultus columbarum praecipue tribuendus est, o) quod praecipuum eorum numen Atergatis siue Dagon fuit, in cuius honorem sanctas esse habitas columbas mox docebimus. Eundem tamen cultum et aliis Syriae locis passim celebratum, per multi memorant auctores. p)

k) *Art. I, 416*

l) *l. c. u. 76*

m) *De Diis Syr. Synz. II. p.*

275

n) *Ad Manil. lib. V, p. 396*

o) Apud EUSEBIUM *Praep. Eu. lib. VIII, p. 398*, Philo refert, immensam columbarum multitudinem Acalone a se uisam. Qui locus uersum Tibulli egregie illustrat: Ἀσυχίον τι πικραδων πληθος ἐπι των τριωδων και κατ' ὄμιον ἐκαστην ἰδεσασαι. πυνθισαμενη δε μοι την αἰτικην ἔφασκεν,

ἡ θεουτον εἶναι συλλεγεσθαι ἀπαγεσθαι γρη δε παλαια τοις ἀνεργοσι την κρηνην. Immensam columbarum multitudinem in trinitis et per singular acdes (Acalone) uidi. Et mihi causam sciscitanti responderunt, capi nefas esse, incolis enim iam olim illarum usum fuisse interdictum

p) Vid. SAM. BOCHARTVS *Hieroz. Tom. II, p. 5. seq.* BROVCKHVSIVS *ad Tib. l. c.*



Enim uero non solum columbas, sed etiam pisces omnes Syri religiose coluerunt, ut scriptores antiqui testantur, quorum testimonia magno numero congesti IAC. OVZELIUS. q) Cultum istum referebant ad Deam, quae uariato nomine Atergatis, Atargata, Athara, Artaga, Dercero, et Dercetis dicitur, et dimidia parte figuram piscis referebat. Ea forma cultam esse Alcalone, et in Phoenicia, DIODORVS SICVLVS et LVCIANVS memorant. r) Hierapoli autem quae culta fuerit, Deam Syriam totam esse mulierem, LVCIANVS l. c. affirmat. Cur autem piscem affinxerint Deae suae Syri, uariae et obscurissimae causae afferuntur ab antiquis. Alii enim in lacum delapsam et a piscibus seruatae aiunt: alii in piscem mutatam Euphratem fluuium tranasse, cum Typhonem gigante fugerent. s) Nec aliae causae abstinentiae Syrorum a piscibus afferuntur. A columbis abstinebant in honorem Semiramidis, quam Dercerus filiam fuisse dicebant, et columbae forma nenerabantur, quoniam, ut quidam memorant, a columbis educata, uel, ut alii, in columbam mutata ferebatur. t) Sed utriusque cultus, et piscium et columbarum, apud Syros rationes non aliunde melius quam ex ea fabula uidentur erui posse, quam interpres Germanici, qui Calpurnius uel CAESIUS BASSVS a quibusdam dicitur,

q) *Animadu. ad Min. Fel. p. m.*  
177

r) *DIOD. lib. II, LVCIAN. de*  
*Dea Syr. Tom. III, p. 460. ed.*  
*Reitz*

s) *OVID. Metam IV, 45 et ad*  
*hunc interpretes, p. 241 edit.*

*Burm. MANILIUS Astron.*  
*IV, p. m. 98. HYGIVS Astr.*

*II, 39*

t) *DIOD. SIC. lib. II, p. 66.*  
*OVIB. l. c. LVCIANVS l. c.*  
*p. 479. ATHENAGRAS A-*  
*pol. p. 270, edit. Reichenb*



tur, u) HYGIVS, x) et L' AMPELIVS, y) tradiderunt Referam eam uerbis interpretis Germanici: *Nigidius bos piscis dicit in flumine Euphrate fuisse, et ibi ouum inuenisse mirae magnitudinis, quod uolentes eiecerunt in terram, atque ita columbam insedisit, et post aliquot dies excludisse Deam Syriam, quae uocatur Venus, maxime quae misericors ad homines pertinebat.* HYGIVS his memoratis addit: *Ob id Syri pisces et columbas, quas in Deorum numero habent, non edunt*

## V

Nimirum hac in fabula ea uestigia religionis Syrorum mihi uideor reperire, ut causas uenerationis piscium et columbarum, formaeque prodigiosae Atergati attributae aperire possim. Existimo enim istas fabulas non alias esse quam traditiones allegoricas, populis orientalibus maxime consuetas, de creatione mundi et originibus omnium rerum. Nam cum orientalium populorum religio honores diuinos maxime ad rerum naturalium principia, uires, effectus et commoda inde ad genus humanum peruenientia, retulit, tum maxime Syrorum eo spectauit Theologia, qui cum scirent, suas regiones primas omnium ab orbe condito habitatas, ipsisque primordiis generis humani illustres esse, harum originum memoriam maxime sacram et religiosam habuerunt. Solebant igitur hoc uniuersum et rerum naturam repraesentare et colere in eo numine, quod uocabant Deam Syriam. Sed cum recepta inter gentes Orientis antiquissima

B

fima

- u) Pag. 112, edit. Sanctandreae- y) Libro memor. ad Macrinum  
nae p. m. 14  
x) Fab. 107



sima traditione crederent, duo huius uniuersi principia fuisse, aquam, e qua mundus productus sit, et aërem siue spiritum, qui materiam primam digesserit, haec quibusdam designabant symbolis, pisce et columba, 2) quae et ipsa Deae suae sacra esse uolebant, religioseque uenerabantur. Horum igitur et figuram tribuebant Deae suae, ad indicandam uniuersi originem, atque ei uel piscem affingebant, uel columbam, prout nempe aut ortum mundi ex aquis, aut spiritum eius effectorem designare uellent. Hinc alii Syriae populi Atergatem femipiscem, alii Semiramidem forma columbae uenerabantur, quae tamen a Dea Syria non fuerunt diuersae. Suffragantur enim grauissimi scriptores, qui et Atergatem et Semiramidem appellant Deam Syriam. a) Imo circa sanum Deae Hierapolitanae pisces et columbas non minore in honore fuisse, quam ubi Derceto uel Atergatis culta, testatur LUCIANVS l. c. Diuersa tantum nomina unius Deae Syriae fuisse uidentur, quae diuersas significabant figuras, quibus ea efficta colebatur. Nam Semiramidis nomen Syris columbam denotasse DIODORVS ex Ctesia tradit, b) et HESYCHIVS: Σμυραμὶς περιεργα ὄρεος Ἑλληνισί. Atergatis uocabulum SELDENO c) ab Addirdaga est, hoc est Ebraice ארירך דג, *piscis magnificus*

2) Ita plane interpretatur haec duo PHVRNVTVS de nat. Door. c. 6: Την παρα Συρίας Ἀγταγαν δια τα περιεργα και ἑξ ὕδους ἀπερχομένη τιμασι, σημειωτορες οὗτι τα μάλιστα δὴλῶντα την της θεους ἄρεσιν αἰρη και ἰδωσ ἴσι. *Artagam apud Syros abstinentia a columbis et piscibus colunt, quo indicant, substantiae siue*

*entium causas esse aërem et aquam*

- a) STRABO lib. XVI extr. PLINIVS H. N. lib. V, c. 23  
 b) Lib. II, p. 66. Conf. SELDENVS syn. II, p. 257. et BOCHARTVS in Chan. lib. II p. 822  
 c) l. c. p. 267



*cus seu potens*, quemadmodum et Dagon Azotiorum nihil aliud quam piscem magnum significat. d) Nisi forte rectius existimes, Atergatis nomen idem esse ac Veneris Aegyptiae, quae Graecis modo 'Ατὰρ, modo 'Αθωρ uocatur, e) ita ut Atargatis sit Athar Gathaca, ab urbe Palaestinarum Gath, apud quos Dagonis cultum maxime uiguisse constat. Nam Atargarin etiam Atharam dictam esse, STRABO l. c. diserte affirmat, et HESYCHIVS: 'Ατταγρῖνη 'Αθωρη. Huic autem idem numen eandemque uim esse tributam, ac Veneri Aegyptiorum Athor, testis est IABLONSKI f)

## VI

Iam propius accedamus ad explicandas fabulas, quas supra de ortu Deae Syriae ex ovo dedimus. Quas si cum ueteris sapientiae Phoeniciae et Orphicae fragmentis, quae extant, contendere uelimus, oppido apparebit, hic nihil aliud, quam Orientalis philosophiae traditiones, fabulis et allegoriis inuolutas, latere, quas etiam Philosophi quidam Graeci receperunt. Primum itaque quod traditur, ouum inuentum fuisse in Euphrate, id mihi uideretur opinionem ueterum designare, mundum ex aquis prodiisse. Ita Orpheum docuisse ATHENAGORAS testis est: g) ἡ γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν (Ὁρφεῶ) τοῖς ὄλοις, ἀπο δὲ τῆ ὕδατος ἰλύς κατεση. *Erat enim secundum Orpheum rerum principium aqua, ex aqua autem lutum factum est.* E Graecis Thales Milesius, quem disciplina Orientalium usum fuisse, ueteres magno consensu affir-

B 2

mant,

- d) Vid. OVZELIUS *ad Min Fel.* Part. I, p. 5  
 l. c. p. 179 f) l. c. p. 8  
 e) IABLONSKI *Pamb. Aeg.* g) *Apol. p. m. 144*



mant, teste CICERONE, h) *aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam Mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* Zenō ipsū chaos Heliōdi aquam fuisse docuit, i) quae ubi subsēdisset, extitisse limum, quem Phoenices appellarunt Mār. k) Ex eo limo, secundum Orphicos, praegrande ouum productum est, quod omnium rerum principium atque ortum dedit, l) et auctore ΑΤΗΝΑΓΟΡΑ, m) in duas partes dissiluit, coelum et terram. Id celeberrimum doctrinae Orphicae figmentum ouo eo, quod fabula tradit a piscibus ex Euphrate prouolutum, manifeste demonstratur. Per columbam igitur, quae isti ouo insēdisset, et exclusisset Deam Syriam dicitur, nihil designatur aliud, quam causa totius uniuersi opifex, quae motum et uim materiae inferuit, resque omnes, confusas adhuc in chaos, discreuit atque ordinauit, quam Phoenices et Orphici spiritum, uel aërem spiritalem, Thales Milesius et Anaxagoras n) multo rectius Νεϋ uocarunt. Sic enim Philo Byblius apud EUSEBIUM: o) *Φωνικῶν θεολογία τὴν τῶν ὄλων ἀρχὴν ὑποτίθειται ἀερα ζοφωδῆ καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀερος ζοφωδῆς, καὶ χάος θελερον, ἐριβωδῆς. Phoenicum Theologia principium huius uniuersi ponit aërem tenebrosū et spiritalem, sive spiritum aëris tenebrosi, et chaos turbidum ac caligine inuolutum.* Hoc autem principium spiritale-symbolo et imagine columbae, ouo incubantis, perquam commode designarunt in fabula. Primo enim, quod aues in aëre uiuunt, hinc etiam

h) De N. D. lib. I, 10. LACTANTI  
Inst. diu. I, 7

i) Scholiastes Apollonii citatus ab  
H. GROTIO de V. R. C. lib. I,  
16, not

k) EUSEBIUS Praep. Eu. I, 10,  
p. 33

l) PLUTARCH. Symp. II, 3.

m) Apolog. I c. Conf. EUSEBII I.  
c. et Recogn. CLEMENTIS  
lib. X, c. 30

n) Apud DIOG. LAERT. lib.  
II, p. m. 91

o) Praep. Euang. I c. p. 33



iam aëris symbolum referunt, praesertim palumbes, quae aëriae frequenter uocantur a poetis. p) Deinde, quod uniuersum tanquam in ouo credebant formatum atque dispositum, spiritus illud formantis actionem assimilabant officio columbae, quae alas super ouum expandens illud fori suo animat. Volebant enim, quae *εν τῷ Χάοι* confusae et indigestae fuissent partes uniuersi, in isto ouo discretas esse et suis quamque locis aptatas ui genitali spiritus, adeoque mundum suis membris, quasi animal, instructum atque perfectum. Denique et illud animaduertendum, Phoenices celebrare in Cosmogonia sua Amorem, quo tactum principium illud *διμιαστικόν* permeauerit chaos. Sic enim paullo post EVSEBIUS; *Ὅτι δε, φασιν, ἤρασθη το πνευμα των ιδιων ἀρχων, και ἐγένετο συγκρασις, ἡ πλοκη ἐνενη ἐκλήθη ποθος. αὐτη δε ἀρχη κτισεως ἀπαντων. At ubi spiritus amore principiorum suorum tactus est, factaque est inde mixtio, hic nexus uocatus est Cupido. Hoc uero fuit initium procreationis rerum. Hunc amorem Spiritus opificis clarissime repraesentat columba nido suo incubans, quae intimo affectu ad continuandum forum et excludendos pullos stimularur. Alii tamen eiusdem doctrinae interpretes, sigillatim ARISTOPHANES, q) *τον Ἐρωτα* ex ouo demum, quod ille *ὑπνημιον* uocat, exclusam perhibent. Per hunc autem intelligi uidetur partium uniuersi ex chao euolutarum et separatarum amica confociatio et copula. Etenim post tactam rerum segregationem, antea confusarum, prodiderunt ueteres,*

B 3

ele

p) VIRGIL. *Ecl. I, 58. III, 69.*  
 IUVENCVS *Hist. Euang. I,*  
 359. CAELIVS RHODIG. 26,  
 5, e D Hieronymo docet, aë-  
 rias dici turtures, quod as-  
 due in iugis montium et ar-

borum uerticibus commoren-  
 rur, eaque appellatione in sa-  
 cris literis Spir. Sanctum in-  
 telligi, ubi de magis subli-  
 mibusque mysteriis sermo sit  
 q) *In Auiibus p. m. 553*



## XIII

elementa uniuersi, locis distincta, sic inter se colligata atque deuincta, ut perpetua coniunctione, mutuoque auxilio, rerum omnium generationem efficerent. Qua propter & *Tegis* a poetis huius uniuersi et omnium rerum parens habetur, nec alius esse intelligitur, quam Dea Syria, quam ex ouo exclusam fabula dicit. Hanc enim palam est ueteribus significare Naturam omnium rerum parentem, siue huius uniuersi sapienter dispositi, ordinem, ornatum, pulchritudinem, perennitatem

## VII

Caeterum haec philosophiae orientalis de origine mundi placita tantopere inuoluta allegoriis et obscurata esse apparet, ut difficilis admodum eorum explicatio esset, nisi subsidio essent diuinae literae, quae ista multo simplicius et uerius tradunt, et unde tota fere haec traditio manauit. Quod nunc paucis probare aggrediar. Ostendam scilicet, quas haecenus breuiter perstrinximus, siue fabulas, siue opiniones de ortu huius uniuersi, esse quasdam reliquias traditionis Patriarchalis antiquissimae, in historia Cosmogoniae Mosaica seruatae, earumque uestigia in uerbis Moysi satis luculenta apparere. Res quidem ipsa iam pridem satis excussa uirorum eruditorum curis est. Nam quod ad doctrinam ueterum de mundo ex aquis orto, de ouo *πρωτογονω*, et aliis rebus eo pertinentibus, attinet, dudum celeberrimi uiri, nominatim HUGO GROTIUS, r) EDM. DICKINSONUS, s) TH. BURNETIUS, t) et PAUL. ERN. IABLONSKI u) PRO-

r) *De Ver. R. C. lib. 1. 16*

s) *In Delph. Phoen. c. V. p. 46*

t) *Theor. tell. sac. II, 10*

u) *Pamb. Aeg. Pavt. I, p. 42. et Proleg. §. 22*



probabili admodum ratione demonstrarunt, haec ex historia Mosis desumpta atque efficta esse. Sed tamen, quod cultum columbarum apud Syros non lego ab iis ad traditiones ueterum de origine mundi esse relatum, quo tamen referri oportere mihi exploratum est, statui hoc paullo accuratius explanare, adeoque ostendere, in eo cultu columbarum latere aliquam notitiam Spiritus diuini, creatoris mundi, eamque uideri e traditione Moisaica haustam esse. Res tota spectat ad uerba Mosis, Gen. I, 2: **רוח אלהים כרחפת על פני המים** *Lit Spiritus Dei ferebatur super aquis*, in quibus uestigia occurrunt singularum rerum, quas e traditionibus et fabulis ueterum de origine mundi paullo ante annotauimus. Primo enim posuimus, aquam a Philosophis, praesertim Orphicis, tradi omnibus rebus initium dedisse, atque idem indicari in fabula obseruauimus per undas Euphratis, in quibus ouum primigenium inuentum sit. Id uero Moses manifeste declarat, aquas nominans, super quibus se motitarit Spiritus Dei ad producendum inde mundum. Quam sententiam Mosis, ne quis dubio locus sit, distinctius exponit D. PETRVS, x) *την γην ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστάν τῷ τε Θεῷ λόγῳ*, affirmans. Neque dubium est per aquas Mosen intelligere το *Xaas*, seu massam indigestam et informem. Nam ante eas nihil aliud ponit, quam **תהו ובהו**, et tenebras abyssi. Vnde ueteres Philosophi et poetae τῷ *Xaas* adiungunt Noctem et Erebum, cuius uocabulum non aliunde quam ex uocabulo **ערב**, quod in historia Mosis occurrit, oriri uideatur. Abyssum Mosis forte per Euphratem fluum, ex quo ouum pronolurum dicitur, fabula designauit, quod **תהו** in sacris literis saepe profunditatem maris et fluminum denotat,

x) 2 Petr. III, 5



notat, e. c. Exod. XV, 5. Quod autem aquarum praecipue fit mentio, sic intellexerunt plerique, massae confusae et permixtae supernatae aquas in superfacie, eamque totam conclusisse, ut mere aquea uideretur. Ita nempe subindicat Moses, ut Spiritus Dei τῷ Χαεῖ incubantis magis magisque recessisse terram ab aquis, intraque eas densatam solidatamque esse, usque dum, ut poeta ait:

- - - - - circumfluit lumor

*Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.*

Eum in modum considerata prima conformatione τῷ Χαεῖ Mosaici, facile cuilibet succurrit species et imago oui, quod etiam ex his Mosis uerbis finxisse ueteres probabile uidetur. Nam Phoenices apud EVSEBIUM ex connexionione spiritus cum chaos dixerunt extitisse Μωτ, quod idem esse ac Orphicorum ouum πῆλοτογενον uel inde apparet, quod hoc aeque atque illud omnium rerum generationis initium esse dixerunt. Illius autem Μωτ appellatio desumpta uidetur a Mosis uocabulo מוֹט, propterea quod illud Phoenicia doctrina apud EVSEBIUM interpretatur fuisse aquosae mixtionis putredinem, ἔδαμα δας μίξωσ σήψω, et quod Μωτ, simile uocabulum, Aegyptiis aquam notare CLEMENS ALEX. testatur. γ) Neque desunt aliae propiores causae, quibus adducti ouum primigenium e uerbis Mosis effinxerint. Nam cum acceperent, Spiritum Dei incubuisse aquis, ad formandum et producendum inde mundum, facile offerebat se imago uolucris ouo incubantis. Idque ipsum significari et exprimi participio מוֹטוֹת, iam dudum a uiris doctis demonstratum est. Haec enim vox non solum

commo-

γ) Strom. lib. 1, p. m. 343



commouendi notionem habet, sed etiam fouendi et sustentandi quodam amoris et misericordiae affectu, et auctoribus ipsis interpretibus Hebraeis, z) proprie significat actum columbae nido suo incubantis, quando expansis alis et calore corporis uitali oua ad formandos excludendosque pullos fouet, aut hos ad maturitatem et uolatum educit. Eodem significato Deut. XXXII, n, usurpatur de aquila, cuius in pullis suis alendis et defendendis solertiam Moses proponit, ad demonstrandam miserationem et beneficentiam Dei erga populum Ifractiticum singularem. Agnoscunt etiam hanc metaphoram uocis, ad declarandam Spiritus diuini in condendo mundo *ἐνεργεῖται*, praecipui doctores ueteris ecclesiae, nominatim BASILIUS M. a) HIERONYMVS, b) et AVGVSTINVS, c) et notatu dignum est, quod illi tradunt, se eam interpretationem a doctore quodam Syro accepisse. Quod certe documento est, hanc expositionem loci Moisaici antiquitus inter Syros receptam probatamque esse, atque

- z) Vid. GLASSIUS *Phil sacr. p.*  
1607. IABLONSKI *Panib.*  
*Aeg. Proleg. §. 22*  
a) *Hom. II. hexaem*  
b) *Quaest. hebr. super Gen*  
c) *Lib. I, c. 18 de Gen. ad lit.*  
Integra uerba eius referamus:  
Illud quod per Graecam et Latinam linguam dictum est de Spiritu Dei, quia superferrebat<sup>ur</sup> super aqua, secundum Syrac linguae intellectum, quae uicina est Hebraeae, (nam hoc a quodam doctore Christi no Syro fertur expositum) non superferrebat<sup>ur</sup>, sed fouebat po-

rius, intelligi perhibetur, sicut oua fouentur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandi pullis quodammodo adminiculatur, per quendam in suo genere dilectionis affectum. Memorabile est, PLINIUM *hest. nat. lib. II, c. 1.* uerbum *incubare*, quod proprie uoluerum est, eadem uocione, et eadem de re, scilicet de causa mundi effectrice, quam naturam rerum uocat, usurpare, plane ad modum hebraici *merachphet*, ita ut significatio uerbi neutralis tran-



arque adeo, cum ovum *πρωτογονον* ab antiquissimis in Oriente philosophis initium mundi esset creditum, hanc etiam traditionem apud eos obrinuisse, Spiritum Dei columbae ritu, ovo incubantis, mundum informasse. Illi quidem causam effectricem mundi non agnoscunt Spiritum Sanctum, seu Mentem aeternam, sed tantum dicunt spiritum aëris; id ipsum tamen a uoce Moſis *רוח* manifeste desumptum est, quae, perinde ac Graecorum *πνευμα*, non solum spiritum sapientem, sed etiam uentum significat. Nec proinde *ωον υπνευμαον* Orphicorum aliunde effectum est, quam e chaos Mosaiico, cui Spiritus Dei incubabat. Multo sapientius autem Thales Milesius spiritum eum, qui ex aqua finxit mundum, Mentem interpretatus est, et Deum credidit. Caeterum uox ipsa *רוח*, quod generis foemini est, in causa esse potuit, ut Spiritum diuinum imaginarentur instar uolucris sequioris sexus mundum incubando produxisse. Hinc enim ortum traxisse arbitror sententiam, quae scholis Orientalium familiaris fuit, Spiritum Dei esse naturae foeminae. Quae sententia maxime cognita est in placitis quorundam haereticorum ueteris ecclesiae, qui e disciplina Orientalium prodierant, cum dicerent, Spiritum S. esse matrem Christi. Huius quidem commentum nonnulli eam rationem fuisse existimant, quod uocem in baptismo Christi coelo emissam: Hic est Filius meus! non Deo Patri sed Spiritui S. tribuerint; sed tamen cum id in Euangelio quodam Hebraeorum apocrypho lectum esse testentur

*feat in actiuam fouendi, produ-  
cendi, continendi. Sic enim ille: Furor est, mensu-  
ram mundi animo quosdam ag-  
gitasse, - - alios innumerabi-  
les tradidisse mundos, ut toti-*

*dem rerum naturas credi oport-  
teret, aut, si una omnes in-  
cubaret, totidem tamen Soles,  
totidemque Lunas, et cetera,  
ut iam in uno, et immensa et  
innumerabilia sidera*



restentur Patres, quorum loca uideri possunt apud FABRICIUM, d) fere non dubium mihi uidetur, tum genus nominis Hebraici מור, tum adiuncti huic participii מורר notationem Hebraeos eam in opinionem induxisse. Quod si requirat aliquis, quid sit, quod cum incubatio sit quarumuis uolucrum, columbae potissimum imaginati sint ueteres; ei quidem ut respondeamus, hic praecipue admittendam esse censemus auctoritatem doctorum Hebraeorum, qui ira interpretati sunt, quod uim propriam istius uerbi haberent perspectam. Potuit tamen et alia accedere ratio e quibusdam opinionibus ueterum, cum propter amorem et affectum ardentissimum in pullos, quae in columbis maxime laudant ueteres, e) tum quod columba symbolum est habita spiritus genitilis, ideoque Veneri dicata a gentilibus. f) Certe in significatione uerbi מור Syros praecipue spectasse intimum miserationis amorisque affectum, ex loco AUGUSTINI, quem adduximus, intelligitur, et obseruantibus GLASSIO g) et PAREO, h) ueteres Hebraei in Thargum Hieros. pro Spiritu Dei *Spiritum miserationum reddiderunt*. Quin manifesta huius notationis uestigia in Cosmogonia Phoenicum et Orphicorum apparent, cum spiritum dicunt amore principiorum suorum tactum, is se coniunxisse, eamque connexionem appellant *κοινων*; aut cum ex ouo primigenio natum esse *τον Εγορα* perhibent. His enim cum nihil aliud indicent, quam actionem principii creatantis, qua pugnancia chaos elementa temperauit, atque, ut poeta ait, *concordi pace ligauit*, tum palam est, ea de-

C 2

sum-

d) *Cod. Apoc. N. T. Tom. I, p. 361, seqq*

e) ARISTOT. *hist. nar. IX, 7.*  
AELIAN *bist. anim. III, 45*

f) Vid. TOLLIVS *fortuit. c. 6*

g) *Phil. sac. p. 1607*

h) *Comment. in Gen. p. 131*



sumpta esse e significato uocis  $\eta\eta\eta$ , qua Moses Spiritus creantis  $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\sigma\tau\alpha\upsilon$  exprimit. Idem etiam significarunt poetae, cum Clementiam finxerunt primam mundum disposuisse atque ordinasse. Quorum sententiam praeclare exprimit CLAUDIANVS: i)

- - - *Prima chaos Clementia soluit*  
*Congeriem miserata rudem, aultuque sereno*  
*Discussis tenebris in lucem saecula fudit.*

Quid autem clementia et miseratione convenientius columbae, quae mitissima uolucris uulgo habetur? Quid igitur ad designandam Clementiam effectricem mundi columbae symbolo aptius? Et nescio, an ex eo, quod aquarum fit mentio, quibus incubuerit Spiritus Dei, extiterit aliqua ratio, ut de columbae incubatione cogitarent. Columbae enim ab antiquitate frequenter sistuntur ad aquas, tanquam ibi libentius commorantes. In sacris literis SALOMO Cant. V, 12: *Oculi eius, ut columbarum ad decursus aquarum.* Et apud ATHENAEVM poetae fingunt columbas Iouem alere ambrosia allata ex Oceano, k) quem HOMERVS, Orpheum securus, omnium rerum generationem esse tradit hoc uersu: l)

*Ὠκεανὸς, ὅσπερ γενεαῖς πάντεσσι τετυκται.*

Quam quidem fabulam de columbis Iouem alentibus LONGINVS m) criminatur ut ineptam, sed defendunt alii, et inesse uideretur arcana quaedam aquae et columbarum significatio. Pariratione fabula, quam supra allatam explicauimus, columbam tradit in ripa Euphratis ouo incubuisse. Quod cum

i) *De laud. Stil. II, 9*

k) Vid. BOCHARTVS *Hieroz.*

*Tom. II. p. 3. 11*

l) *Iliad XIV, 246. Conf. ATHENAG. Apol. p. 144*

m) *Sect. IX, 30*



cum genesis mundi secundum doctrinam Orientalium, ut demonstrauimus, adumbrat, tum ita confictum est, ut Mosis narrationem de Spiritu diuino aquis incubante exprimere uideatur. Adiuuat suspicionem nostram ipsum nomen Euphratis in fabula usurpatum, quem fluiuium terram Eden, primorum parentum habitaculum, rigasse sacra Mosis historia tradit. Ita enim eum regionem designet, quam primi homines recentes a Deo coluerunt, et unde generis humani extiterunt primordia, commode adhibebatur in fabula, quae ipsius mundi origines doceret. Sunt in Cosmogonia Phoenicia, quam e Sanchuniathone refert EUSEBIUS, permulta alia, e traditione Mosis manifeste desumpta atque corrupta, ut dudum uiri docti animaduertent, maxime, qui totum illud fragmentum eruditissime explicauit, SAM. BOCHARTVS. Earum rerum documento sane edocemur, multas de antiquissimis rebus fabulas apud gentes Orientis ex historia Mosaica confingi solitas, neque adeo improbandum esse, hanc etiam de origine mundi a nobis propositam indidem si reperamus. Sed longius iam euagati sumus, et satis approbatum arbitramur, inesse in historia Mosaica quasdam significationes uerborum, e quibus procusae uideantur traditiones Orientalium allegoricae de ouo mundi principio, et spiritu ritu columbae incubante. Huc igitur et cultum columbarum apud Syros referendum esse, cum fabulae poetarum, quae antiquissimarum traditionum custodes esse solent, loquantur, haud a ratione alienum uidentur. Syri enim, quorum religio et doctrina maxime origines rerum et huius uniuersi naturam spectabat, olim quidem traditionem Patriarchalem de creatione mundi simplicem et puram, quam Moses ex-

C 3

hibet,

a) In Chan. II, 2, p. 783 seq



## XXII

hiber, uidentur tenuisse, postea uero idololatriæ studio corrupti, cum doctrinam suam primo symbolis quibusdam et imaginibus, pro more gentium Orientis, repræsentare conuissent, mox eadem consecrarunt et pro Diis habuerunt. Iam supra ostendimus, in columbis et piscibus, quos Deæ Syriæ affingebant, coluisse eos duorum rerum principia, quæ et ipsa Theologia Phœnicum tradidit, aquam et aërem siue spiritum. Ea ipsa uero cum Moses uno commate coniuncta memoret, ab eodem etiam desumpta esse, certum arbitramur. Neque igitur temerarium iudicamus asserere, cultum columbæ apud Syros documentum fuisse traditæ antiquitatis religionis in Spiritum Dei creatorem mundi, quæ mature in superstitionem et idololatriam degenerarit.

## VIII

Quo facilius autem, pro peruersitate humani ingenii, a uero Dei cultu et castiore religione est defectio, et quo certius hoc idem in antiquis populis euenisse nouimus, hoc maius beneficium Spiritus Sancti censendum est, quod per sanctos uiros singulari afflatu actos res diuinas literis consignari iussit, unde uera Dei colendi salutisque nostræ ratio et recte intelligi, et a corruptelis humani ingenii pura seruari possit. Hinc autem Spiritum S. cognoscimus non solum opificem huius uniuersi esse, sed etiam coetus Christo sacrati auspicem et moderatorem, qui animos humanos et luce ueritatis cœlestis collustrat, et uirtute ad fidem Deo seruandam, tenendamque salutis uiam, instruat. Hunc igitur primum uerbumque Spir. Sancti cultum esse intelligamus, ut eum in uerbo suo loquentem diligenter reuerenterque audiamus, salutarique doctrina et ammonitu eius duci nos flectique, hauri



haud refragantes, patiamur. Fructus Spiritus, docente  
 Apostolo, o) sunt charitas, gaudium, pax, patientia,  
 fides, mansuetudo, cet. Quare operam demus ut  
 horum sanctissimorum munerum Spir. Sancti fiamus  
 compotes, animosque nostros ei totos formandos tra-  
 ctandosque committamus, idque maxime his diebus me-  
 ditemur, quibus sacra Spiritui S. facturi sumus, ut du-  
 ctu eius et auxilio freti, fide integra Deo Seruatori no-  
 stro approbata, et uita pie sancteque traducta, felicitate-  
 tem aeternam assequamur. P. P. in Academia

Iulia Carolina d. IX Maii  
 clb lcccLXI

o) Gal. V, 22









153883


X 2286633

R









COLVMBIA SANCTA  
SYRORVM

PROGRAMMA  
SACRO PENTECOSTALI

A. R. S. c i o i o C C L X I

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P

HELMSTADII

LITERIS SCHNORRIANIS.

